



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Vtrum sex vltima prædicamenta sint relationes extrinsecus
aduenientes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

ex eo quod vestis sit in corpore : similiter actio non dicitur esse ad, sed esse ab, & passio est in passio.

Confirmatur si sex vltima prædicamenta essent relationes, necessario essent mutua: hoc autem est falsum, quia actio, & passio non sunt simul natura.

Respondeo negando minorem, ad cuius probationem dico manifestum esse, sex vltima prædicamenta dicere ex natura sua intrinseca esse ad tam bene quam similitudo: nam actio ordinat agentem ad effectum, passio effectum seu passum ad agentem, vbi locatum ad locum, quando rem existentem ad tempus, & ita de reliquis, sicut similitudo ordinat album vnum ad aliud album coexistens. Nec refert, quod actio dicatur esse ab agente, passio in passio, vbi in loco, nam etiã similitudo dicitur esse in subiecto, & tamen non propterea dici debet quod non sit relatio. Præterea, improprie dici à Complutensibus, quod vestis sit in corpore, & falsum esse, quod habitus sequatur ex eo, quod vestis sit in corpore, imò ab ipso habitu habetur vestis esse in corpore, seu vt proprius dicam, vestis circa corpus aut applicata corpori.

16 Confirmatur responsio, quia ideo aliquid est essentialiter actio, non quia est ab agente quomodocumque, sed quia est ab ipso sic, vt ab ipsa denominatur per se formaliter agens producere aliud: & ideo aliquid dicitur essentialiter passio, non quia est in passio quomodocumque, sed quia est in ipso sic, vt ab ipsa denominetur passum pari ab aliquo: & ideo aliquid dicitur esse vbi, non quia est in loco quomodocumque, nec quia ponit in loco quomodocumque, sed quia est ratio formalis, à qua essentialiter & formaliter habet aliquid actu constitui in loco: ergo actio, passio, & vbi dicunt ordinationem actualem vnius ad aliud, nimirum, agentis ad passum, passi ad agens, locati ad locum: ergo dicunt esse ad non minus quam similitudo, quæ propterea dicitur esse ad essentialiter, quia minus ipsius est referre actualiter vnum extremum ad aliud.

17. Ad confirmationem obiectionis, Respondeo primo, quod si aliquæ relationes ex sex vltimis prædicamentis non essent mutua, inde formaliter non sequatur, quod non essent relationes; neque enim ex conceptu relationis vt sic, habetur necessario, quod debeant esse mutua, vt patet in relationibus tertij generis, quæ secundum ipsosmet aduersarios non sunt mutua.

Respondeo secundo, concedendo sequelam maioris, & negando minorem: ad cuius probationem, dico aliud esse, quod relationes sint mutua, aliud quod sint simul natura; ad ipsam autem rem dico, quod certum sit reliquas relationes spectantes ad vltima prædicamenta, præter actionem & passionem, esse simul natura; vnde quantum ad hanc rationem, saltem illæ possunt esse relationes. De actione etiam & passione certum est, quod sint simul natura quantum ad hoc, quod ab vna ad alteram sequatur subsistendi consequentia pro quocumque instanti temporis, nec alia simulras naturæ necessario requiritur in omnibus relationibus.

QVÆSTIO III.

De Actionis prædicamento.

Explicatur sententia Scoti de Actione.

Nomen actionis est æquiuocum.

18. Nomen Actionis, vt aduertit Doctor in 4. dist. 13. quæst. 1. & quodlib. 13. est æquiuocum; significat enim plura secundum diuersam rationem; primo enim significat actiones vitales, quibus potentia vitales tendunt in sua obiecta, vt intellectus in intelligibile, voluntas in volubile, visus in visibile, quæ actiones sunt de prædicamento qualitatibus, & non huius prædicamenti.

Secundo sumitur aliquando à Philosopho pro reacta, seu pro effectu, qui producitur ab efficiente: & sic etiam non spectat ad hoc prædicamentum, sed ad illa, ad quæ spectat res illa producta.

Tertio sumitur pro respectu, seu relatione, quæ supponitur resultare in re, quæ aliam rem producit statim atque illam producit; & manet in illa re, quandiu coexistit cum re producta: & actio hoc modo spectat potius ad prædicamentum *Ad aliquid*, quam ad hoc prædicamentum, si tamen derur talis actio, seu productio, de quo egi supra disp. de relatione num. 46.

Quarto, sumitur pro respectu educentis ad formam, quæ educitur ab aliquo agente ex potentia alicuius subiecti.

Quinto pro respectu inducentis ad formam, quam inducit aliquid agens in aliquid subiectum.

Sexto denique sumitur pro respectu transmutantis ad transmutatum, mediante quod scilicet aliquid agens mutat aliquid subiectum.

19. Ex his tribus vltimis respectibus certum est posse dari respectum inducentis, sine respectu educentis; anima enim rationalis inducitur & non educitur: non potest tamen esse educio sine inductione, nihil enim educitur ex potentia alicuius, quod non recipiatur in ipsomet. Potest etiam dari respectus transmutantis sine educatione, vt patet in transmutatione corporis, quæ est altera pars viuientis per animam rationalem, non tamen sine inductione, quia nihil potest transmutari proprie loquendo, hoc est intrinsece, per receptionem formæ, quam non habuit ante, quin inducatur illa forma in illud, quod transmutari dicitur. Vnde existimo actionem educiuam realiter identificari actioni inductiuæ, & actionem transmutatiuam realiter identificari actioni inductiuæ in hoc sensu, quod illa actio qua transmutatur aliquid subiectum, debeat necessario esse actio, qua inducitur aliquid in ipsum; & illa actio, qua inducitur in subiectum, debeat necessario esse actio, qua transmutatur; & denique illa actio qua aliquid educitur ex subiecto, debeat esse & actio, qua inducitur aliquid in ipsum, & consequenter actio, qua transmutatur illud subiectum. Vnde quando Scotus videtur distinguere actiones has, existimo quod debeat intelligi, non de distinctione reali, sed potius de distinctione aliqua formali, vel rationis, vel etiam de distinctione reali in hoc sensu, quod bene possit actio transmutantis aliqua esse distincta realiter ab omni actione educiuâ, hoc enim est certum, quod transmutatur aliqua res per formam, quæ non educitur à potentia eius.

20. Difficilius, est quod Scotus supra in quarto, num. 11. dicit, respectum inducentis ad inductum, & educentis ad educum esse respectum intrinsecus aduenientem; respectum vero transmutantis ad transmutatum esse respectum extrinsecus aduenientem, atque adeo respectum transmutantis ad transmutatum solummodo spectare ad hoc prædicamentum, non vero respectum inducentis aut educentis. Cuius rationem assignat, quod non possit esse forma inducta aut educita simul cum inducente aut educente, quin sit respectus educationis aut inductionis; possit autem esse transmutans v. g. causa transmutatiua & transmutatum, hoc est subiectum ab ipso transmutabile sine transmutatione, nimirum in casu, quo poneretur aliquid impedimentum, vt si adesset fortior agens, aut deesset concursus diuinus. Hæc doctrina mihi semper visa est difficilis, & si vera esset, falsum esset quod paulo ante diximus, nempe actionem transmutatiuam identificari realiter semper actioni inductiuæ alicui, & actionem educiuam semper identificari alicui actioni transmutatiuæ, quia omnis relatio extrinsecus adueniens distinguitur realiter ab omni relatione intrinsecus adueniente, alias non ponerentur in prædicamentis realiter distinctis.

Ideo autem hæc doctrina visa mihi est difficilis primo, quia si distinguitur realiter actio educiuâ transmutatiua sanè transmutatiua non potest esse prior quam educiuâ, sed potius è contra educiuâ debet esse prior: hoc autem supposito videtur quod relatio transmutantis, seu actio transmutatiua sit intrinsecus adueniens, quia sequitur necessario suppositis extremis, & educatione formæ seu inductione eius ita, vt de potentia Dei absoluta non possit non esse magis quam similitudo duorum alborum possit non esse, supposita eorum coexistentia: sed illa relatio, quæ necessario sequitur positis extremis, & aliqua ratione priori, quæ non sit actio productiua istius relationis, est intrinsecus adueniens, vt patet ex dictis quæstione prima huius disputationis: ergo illa relatio transmutantis esset extrinsecus adueniens in casu supposito.

Secundo, quia videtur quod relatio educentis aut inducentis sit extrinsecus adueniens, quia illa relatio est extrinsecus adueniens, quæ non sequitur necessario positis extre-

Inductio potest esse sine educatione non è contra. Transmutatio potest dari sine educatione, sed non sine inductione.

Actio educiuâ realiter identificatur actioni inductiuæ & etiam actio transmutatiua.

An actio inductiuâ, & educiuâ, sit relatio intrinsecus adueniens.

Contra partem affirmatiuam.